

retribuat. Et similis apparuit s^epe liberalitas in Gallos aliquo casu oppressos. Nam erga reliquos, aut h^{ic} aut in nauibus agentes didicerunt \grave{a} nobis non facile quicquā gratis dare. Pedunculos capitis quæsitant, & in delicijs habent. In mendicando & postulando importunissimi sunt, & qui esse solent mendicorū & inopū mores, falsi, obloquatores, assētatores, vani. Gallos quidē atq³ omnes gentes cùm semel saturi sunt, longè despiciunt, irridēntq³ clanculum omnia; etiam religionē, quam suscepérint. Tuguriola sua vbiuis facilē ac raptim sudibus ramificē ædificant, & aut cortice aut pellibus aut etiā tegete cōtegunt. Ignis in medio extruitur. Sed h^{ec} iam fatis supérque de regione & hominib^{us}, maximē cùm accuratam regionis Chorographiam mittam; ex quo vno intuitu, quidquid de terrarum & maris situ dixi, liquido apparebit.

Nvnc ad id venio, quod secundo loco proposui, vt scilicet explicem, quanam tandem via Societas missionem in hanc prouinciam obtinuerit. Et quidem nostri Burdi-